

Coleoptera quaedam e Staphylinorum fami-
lia nova vel minus cognita cum
observationibus.

auctore

Flaminio Baudi a Selve,
cive Taurinensi.

Falagria elegans. *Rufo-testacea, capite piceo, elytrorum macula discoidali elytrorumque dimidio postico fuscis, thorace subcordato, postice canaliculato, basi foveolato.* — Long. 1 lin.

Hab. in insula Cypro. D. Truqui.

Fac. naevulae Er. proxima, corpore majore, antennis longioribus, et thorace subcordato differt; statura F. obscurae, capite thoraceque subtiliter, elytris abdomineque subtilissime minus consertim punctulatis, laete testacea, nitida. Antennae capite thoraceque paulo longiores, tenues, corpori concolores, articulis tribus primis pallidioribus, elongatis, inde apicem versus sensim modice incrassatae. Caput thoracis maxima latitudini aequale, suborbiculatum, piceum vel rufo-piceum, fronte planiuscula. Thorax coleopteris dimidio angustior, latitudine summa haud brevior, ante medium fortiter ampliatus, basin versus angustatus, leviter convexus, prope basin subdepressus, postice subtiliter breviterque canaliculatus et foveolatus, rufo-testaceus. Scutellum aequale. Elytra thorace paulo longiora, flavo-testacea, macula discoidali marginem solum externum attinente, fusca, notata, tenuissime minus consertim flavo-pubescentia. Abdomen tenuissime sparsim flavo-pubescentia, segmentis duobus primis rufo-testaceis, sequentibus fuscis. Pedes flavo-testacei.

Mas: variat fronte leviter circulariter, thorace dorso longitudinaliter late impressis.

Ocalea picipennis. Nigra, nitidula, antennis rufis, basi pedibusque flavis, elytris rufo-piceis, thorace orbiculato, basi foveolato. Long. $1\frac{3}{4}$ lin.

Habitat in insula Cypro. D. Truqui.

O. murina paulo major, nigra, nitida, aequaliter crebre minus fortiter punctata, pube albido-cinerea minus dense, abdominis dorso irregulariter vestita. Antennae ut in illa, sed rufae, basi flavescentes, articulo ultimo minore elongato, picco. Oris partes flavae, palporum maxillarium et mandibularum apice infuscatis. Caput thorace paulo angustius, basi leviter constrictum. Thorax coleopteris paulo angustior, suborbiculatus, basi media foveola lata minus profunda impressus. Elytra vix thorace longiora, rufo-picea, saepius humeris et limbo apicali flavescens, lateribus infuscata, pube albido-cinerea in disco irregulariter disposita. Abdomen segmentis quatuor dorsalibus primis basi transversim impressis, omnibus subtus apice piceo-limbatis, ventre aequaliter, dorso dupli serie in unoquoque segmento in punctum convergente, e pilis albido-serviceis composita. ornatum. Pedes flavi, coxis piceis.

Aleochara crassicornis Lacord. (Fairm.) (*clavicornis* Kraatz) frequens in insula Cypro, et Beryto ab amico Truqui lata, maribus autem feminis triplo rarioribus; distinguuntur mares abdominis segmento dorsali quinto medio carinula spiniformi, sexto granulo proximis majore medio instrueto apice, subtiliter circulariter denticulato.

Ob *Al. clavicornis* Redtnb. und *crassicornis* Lacord. derselben Art angehören, ist meines Wissens noch nicht bestimmt entschieden; *Al. crassicornis* Baudi scheint mir nach den angegebenen Geschlechtsunterschieden nicht mit *Al. clavicornis* Redtenb. identisch zu sein.

G. Kraatz¹⁾.

Aleochara maenlipennis. Nigra, nitida, elytris thorace brevioribus, dimidio postico tarsisque rufis, abdomine subparallelo subtilissime vase punctulato, segmento singulo basi crebrius punctato. Long. $2\frac{1}{2}$ lin.

Hab. in insula Cypro. D. Truqui.

Al. fuscipennis individuis minoribus statura et forma similis,

¹⁾ Die ferneren, ebenfalls von mir gegebenen deutschen Noten stützen sich meist auf die Ansicht von Originalexemplaren, welche der Autor so freundlich war, mit dem Manuscript zugleich einzusenden.

tennis longioribus, corporis punctura elytrorumque pictura distincta. Antennae capite thorace que paulo breviores, nigrae, articulis secundo tertioque aequalibus, quarto minore, quarto—decimo sensim paulo crassioribus et crassitie longioribus. Caput thorace multo angustius, parce punctatum. Thorax ut in Al. fuscipede, sed parce subtiliter punctatum parceque fusco-villosum. Elytra thorace paulo breviora, angulo exteriore rotundato, minus crebre fortius punctata, nigra, di-midio postico, sutura excepta, rufa, parcius fusco-villosa. Abdomen subparallelum, nigrum, nitidum, supra sparsim, subtus dense fusco-villosum, dorso subtilissime punctulatum, segmento singulo basi depresso, ibique minus crebre punctato. Pedes fusti, tarsis rufescen-tibus.

Obs. Ab Al. discipenni Muls. differt antennis brevioribus cras-sioribusque, thorace elytrisque minus crebre punctatis, elytrorum pictura, abdomine que tota subtilissime punctulato, segmento singulo in solo impressione basali crebre punctato, dorso laevigato punctis quibusdam majoribus, piligeris praesertim versus apicem notato.

Mas: abdominis segmento ventrali sexto apice triangulariter producto dignoscitur.

Mycetoporus niger Fairm. Plurima exemplaria ipse in Liguria et Sardinia, D. Truqui in insula Cypro reperimus, quae proprius descriptioni hujus insecti a Domino Fairmaire in Fauna Ent. Franc. tradita convenient, sed omnia statura minore ($1\frac{3}{4}$ lineam vix attingunt), ore testaceo, elytrorum serie dorsali punctis magis approximalis quam in caeteris europaeis speciebus composita, differre videntur: forsitan varietas localis.

Leptacinus parumpunctatus Gyll. Sat frequens in Pe-demontio; dignoscitur mas abdomine parallelo, segmento ventrali sexto apice medio leviter emarginato, femina abdomine medio paulo dilatato, ibi elytris parum latiore, segmento ventrali sexto apice truncato, integro.

Leptacinus batychrus Gyll. Frequens in Pedemontio; mas abdominis segmento ventrali sexto apice late emarginato, fe-mina eodem apice integro, septimo dorsali margine utrinque subtus reflexo, subacuminato, octavo conspicuo.

Leptacinus formicetorum Märkel. Inundante Pado flu-vio in quisquiliis abunde lectus, antennis basi piceis elytris abdomi-neque obscurioribus, thorace subparallello, ad angulos anticos non

dilatato, segmento ventrali sexto semper integro a praecedente praesertim distinguitur.

Wahrscheinlich hat H. Baudi den L. linearis Grav. und nicht den L. formicetorum Märkel vor sich gehabt, welcher ausschliesslich auf den Aufenthalt in Amcisenstern angewiesen scheint.

Ocyphus olympicus. *Alatus, niger, capite thoraceque sub-aeneis, nitidis; elytris, tarsis, antennisque rufis, his articulis basalibus medio infuscatis.* — Long. $4\frac{1}{2}$ ad $5\frac{1}{2}$ lin.

In insula Cypro octo exemplaria legit D. Truqui.

Minoribus O. falciferi individuis statura aequalis, mandibulis edentatis, falcatis, at brevioribus; niger vel nigro-piceus. Antennae capite sesqui longiores, articulo ter'io secundo sesqui longiore, uti in supradicta specie constructae, rufae, articulis tribus basalibus medio fuscis. Palpi rufi, labiales articulo ultimo in utroque sexu leviter securiformi, maxillares eodem in mare leviter securiformi, in femina parum longiore, apicem versus attenuato, apice truncato. Caput subtransversum, thoracis latitudini anticae subaequale, subdepressum, nigro-aeneum, nitidum, punctatum, parce subtilissime fulvo-pubescentia, subtus piceum vel rufo-piceum. Thorax coleopteris paulo angustior, basin versus vix angustatus, latitudine antica paulo longior, lateribus rectis, basi cum angulis posterioribus rotundatus, crebre punctatus, linea media longitudinali levi posterius subcarinata notatus, parce subtiliter fulvo-pilosus, nigro-aeneus, nitidus. Scutellum confersum punctulatum, dense fusco-pubescentia. Elytra thorace longiora, deppressa, confertim subtiliter punctata, densius subtiliter fulvo-pubescentia, rufa vel rufo-testacea, minus nitida. Abdomen densius subtiliter punctatum, dense fulvo-pubescentia, nigrum vel nigro-piceum, segmentorum apice saepius rufo-piceo, parum nitidum. Pedes picci, coxis anticis, tibiarum apice tarsisque rufo-piceis, vel rufis.

Mas abdominis segmento ventrali sexto margine apicis utrinque subsinuato, medio profunde emarginato distinctus.

Quedius suturalis Kiesw. Q. nemoralis Baudi (Studi. Ent.) varietas mihi videtur, elytris tantisper longioribus, limbo testaceo ad humeros paulo dilatato; similem enim varietatem cum genuinis thorace non nigro-aeneo sed piceo inveni. Alioquin mihi computum non est an recte D. Fairmaire (in Fauna Ent. Franc. p. 544.) Quedium suturalem Kiesw. Quedii obliterati Er. synonymum tradat, nam species duae multis speciminibus comparatis, notis pluri-

bus discedere mihi videntur; nempe Q. oblitteratus praeter statu-ram minorem, thoracis angulis anticis minus productis, magis ro-tundatis, elytris non rufo-brunneis, sed testaceis vel testacco-fuseis, (macula angustiore juxta-suturali obscura), subtilius punctatis, abdo-mine densius et longius flavo-pubescente pedibusque flavo-testaceis a Q. suturali distinguitur; habitatio insuper duarum specierum, quoad mihi notum, est alia: oblitteratum enim in Sardinia ad maris littora et prope salinas reperi, nemoralem mihi in interiore Sardinia, et in Pedemontio sub arborum praesertim Pini cortice legi, suturalem Kiesw. Domini Dohrn, Fairmaire et Küenburg in Austria reperatum mihi miserunt. Caeterum pluribus inde nemoralis speci-minibus examinatis, evidentius identitas cum suturali Kiesw. inno-tuit, proinde nomen a me impositum speciei accuratius a D. Kie-senwelter descriptae pro synonimo subjungendum.

Quedius suturalis Kiesw. ist jedenfalls mit Unrecht von Fair-maire zum Q. oblitteratus gezogen, mit welchem mir ein früher von H. Truqui eingesandtes Stück von Q. nemoralis identisch schien.

Quedius flavipennis Baudi (Studi. Ent.) e catalogis de-lendus, et pro varietate Q. virgulati Er. habendus; nonnulla enim in altero per Sardiniam itinere peracto, exemplaria legi, quae so-lummodo elytris paulo dilutioribus fronteque punctis utrinque bi-nis oblique positis notata a Q. virgulato discedunt, in caeteris con-veniunt; pubes etiam fulvo-sericea in junioribus individuis minus conspicua.

Homocotarsus Chaudoirii. Pulcherrimi hujus generis in-dividua duo in insula Cypro, sex prope Berytum in Asia minore amicus Truqui legit, quae characteribus genericis a D. Hochhuth (in Bull. de Moscou 1851. III. p. 34.) traditis apprime conveniunt; idem de specificis dicerem, nisi quod a me examinata caput et ely-tria non opaca, sed thorace minus nitida habeat, thorax postice paul-lulum angustior, lateribus leviter sinuatis; his porro solis notis ab allata descriptione discedentia, nisi armeniaco individuo de visu in-specto pro peculiari specie describere non auserim.

Scimbalium testaceum Er. Plurima hujus speciei indivi-dua in insula Cypro lecta examinavi, quae forma et colore valde variant; dilutiora descriptioni Doctoris Erichson apprime conveniunt, matura individua discedere videntur capite basi thorace plus mi-nusve latiore, elytris modo sub-opacis thorace vix brevioribus, modo

nitidulis thoracis longitudine, fuscis, ferrugineis, vel rufo-testaceis, plus minusve dense pubescentibus, abdominis apice plus minusve rufescente vel flavescente: his postremis varietatibus, quibus referantur descriptiones *Scymbalii grandiceps* Jacq. Duval, et *longicolle* Muls. et Rey, cum dilutiore illa comparatis unicam speciem admodum variabilem constituere mihi visa sunt.

Lathrobium apicale. Nigrum, nitidum, capite thoraceque oblongo fortiter punctatis, elytris profunde subseriatim punctatis, nigris, apice testaceis, antennis pedibusque testaceis; abdome minus dense subtiliter punctato. Long. 3½ lin.

Hab. in insula Cypro. D. Truqui.

L. multipuncto affine, corpore magis robusto, antennis longioribus, thorace breviore, elytris minus profunde subseriatim punctatis, aliter pictis, et abdomine minus crebre punctato discedit: his notis, nec non corpore magis convexo a *L. striatopunctato* Kiesw., ab omnibus segmentis ventralibus ultimis maris aliter exculptis differt.

Antennae capitis cum thorace fere longitudine, articulo tertio secundo sesqui longiore, sequentibus obconicis sensim paulo brevioribus, rufae. Palpi rufi. Caput thorace paulo latius, subovatum, crebre fortiter punctatum, fronte parcus. Thorax coleopteris angustior, latitudine vix sesqui longior, lateribus rectis, parallelis, angulis omnibus late rotundatis, convexus, crebre profundeque aequaliter punctatus, linea media longitudinali angusta laevi. Scutellum lateribus subpunctatum. Elytra thorace longiora, crebre disco medio subseriatim, profunde punctata, nigra, tertia apicali parte sat determinata testacea. Abdomen minus consertim subtilius punctatum, minus dense subtiliter fulvo-pubescent, nigrum, segmentis quinto sextoque apice rufo-testacei. Pedes rufo-testacei, coxis rufo-piceis.

Mas: abdominis segmento inferiore quinto fovea lata parum profunda, anterius a carinula brevi sat elevata divisa, impresso, sexto profunde inciso: femina eodem apice rotundato-truncato.

Variat rufo-ferrugineus, elytris piceis, abdome apice testaceo.

Scopaeus laevigatus Gyll. Vulgaris in Pedemontio.

Scopaeus bicolor Baudi. Abdomen maris segmento ventrali quinto sextoque medio longitudinaliter late impressis, impressione apice sublevi, quinto apice profunde semicirculariter emarginatis.

nato, sexto late triangulariter exciso. Minus frequentes hunc collegi in quisquiliis Pado fluvio inundante natantibus.

Nach den neuerdings übersandten typischen Stücken stellt sich die Art mit Bestimmtheit als eine von den übrigen bekannten verschiedenen heraus.

Scopaeus apicalis Muls. Antennae longiores quam in praecedentibus, articulo tertio secundo tenuiore, omnibus crassitie longioribus, rufo-testaceae, apice dilutiores. Abdomen maris segmento quinto integro, sexto medio longitudinaliter impresso, apice bisinuatim emarginato. Variat thorace rufo-piceo. Frequens cum praecedentibus in alluvionibus Padi.

Die eingesandten Exemplare zeichnen sich durch sehr dunkle Färbung aus.

Scopaeus sericans Muls. Antennae praesertim in femina paulo breviores quam in laevigato, articulis secundo et tertio obconicis quoque crassitie longioribus, sequentibus sensim brevioribus crassioribusque, penultimis crassitie in mare vix, in femina distinete brevioribus, rufo-testaceae. Abdomen maris segmento ventrali quinto integro, apice subemarginato, sexto apice profunde et late triangulariter exciso; si segmentum hoc plane exsertum est, basi transversim impressum apparel. Cum praecedentibus lectus, mas femina longe rarer.

Scopaeus scitulus. *Omnium subtilissime punctulatus, niger, subnitidus, antennis, pedibus, ano elytrorumque apice testaceis, thorace oblongo basi transversim obsolete foveolato, elytris thorace longioribus.* Long. $1\frac{1}{3}$ lin.

Habitat in Pedemontio.

Minutus, niger, vel nigro-piceus, subnitidus, pube brevissima subtilissimaque, thorace excepto, dense obtectus. Antennae capite duplo fere longiores, articulis secundo et tertio obconicis, longitudine subaequalibus, tertio vix graciliore, quarto—decimo sensim brevioribus et paullulum crassioribus, ultimis tamen crassitie haud brevioribus, testaceae. Palpi et oris partes testaceae. Caput oblongum, lateribus parallelum, oculis parum prominentibus, basi truncatum, angulis posticis rotundatis, modice convexum, omnium subtilissime confertissimeque punctatum, nigrum, rare nigro-piceum, subtus medio piceum, rare rufo-piceum. Thorax coleopteris angustior, latitudine sesqui longior, ovatus, apice parum attenuatus, basin versus leviter angustatus, modice convexus, omnium confertis-

sime subtilissimeque punctatus, linea media tenuissima longitudinali laevi (summo apice quandoque etiam medio evanescente), ante basin subelevata, impressione transversa obsoleta terminata, notatus; nigro-piceus, saepius rufo-piceus. Elytra thorace tertia parte longiora, confertissime subtilissimeque punctata, nigro-picea vel picea, margine apicali latius rufo-testaceo vel testaceo. Abdomen omnium confertissime subtilissimeque punctatum, nigrum vel nigro-piceum, ano obscure vel rufo-testaceo, segmentis ventralibus primis basi, ultimis tribus fere totis rufo-piceis. Pedes testacei.

Mas: abdominis segmentis ventralibus quinto apice, sexto basi late parum profunde impressis, impressione nitidiore, quinto margine apicali medio emarginato, sexto apice profunde inciso, bilobo. Femina segmento ventrali sexto apice rotundatim producto.

Cum praecedentibus speciebus plurima exemplaria in quisquiliis Pado fluvio inundante supernatantibus prope Augustam Taurinorum inveni: quaedam etiam ex insula Cypro D. Truqui retulit.

Ab affinibus hujusce divisionis punctura omnium confertissima subtilissimaque, thoracis abdominisque maris structura distinctus: Aegyptiaco Scopaco infirmo Er. et Armeniaco debili Hochhuth perquam affinis, sed etiam ab his nuper enumeratis notis, nec non statura graciliore antennisque longioribus differt.

Gute Art.

Scopaeus rubidus Muls. Statura Sc. laevigati, at paulo validior. Antennae articulis secundo tertioque obconicis, subaequalibus, quarto — decimo sensim paulo brevioribus crassioribusque, octavo — decimo crassitic brevioribus, rufo-testaceac, validae. Caput subquadratum. Abdomen maris segmento ventrali quinto apicem versus subimpresso, limbo apicali tenui testaceo leviore, apice late emarginato, sexto apice profunde triangulariter exciso, excisuræ limbo subelevato, segmentis his duobus apice longius pilosis.

In alluvione Padi cum praecedentibus copiose, mares tamen minus frequentes.

Scopaeus abbreviatus Muls. Mihi invisus, attamen elytris thorace brevioribus, ruguloso-punctatis, pedibusque praesertim tibiis intermediis crassioribus a sequentibus duobus speciebus distinctus videtur.

Scopaeus cognatus Muls. Minuto proximus, apud nos tamen statura paulo majore, attenuarum articulo tertio secundo paulo minore, capitidis vertice minus confertimi quam in illo punctulato,

thorace paulo nitidiore, quasi ut in rubido punctato, canalicula longitudinali media tenui saepius integra, clytris thoracis longitudo distinctius subrugoso-punctatis differt. Abdomen maris segmento ventrali quinto apice submarginato, sexto apice utrinque arcuatim impresso, profunde triangulariter exciso, excisura apice obtusa marginibus elevatis.

Sat frequens in Pedemontio ad ripas fluviorum.

Scopaeus minutus Er. Vulgaris in Pedemontio; mas variat abdominis segmento ventrali quinto apice integro, sexto ante excisuram late impresso, excisurae margine basi elevato.

Scopaeus minimus Er. Apud nos frequens; variat interdum capite, thorace et elytris, basi excepta, rufo-piccis vel rufo-ferrugineis; saepius rufo-testaceus, elytrorum apice pedibusque testaceis, abdomine, ano excepto, fusco.

Scopaeus pusillus Kiesw. Mihi ignotus.

Ist mit *Sc. abbreviatus* identisch.

Sunius thoracicus. *Niger, antennis, pedibus elytrorumque apice testaceis, thorace rufo-ferrugineo, basin versus angustato; capite thorace latiore, elytris thorace longioribus, minus crebre fortiter punctatis*. Long. $1\frac{2}{3}$ lin.

Statura omnino Sunii angustati Payk., niger, nitidus, capite thoraceque opacis, subtiliter grisco-pubescentes. Caput et antennae ut in angustato sed oculi nigri, paulo magis proeminentes. Thorax coleopteris plus dimidio angustior, latitudine summa paulo longior, lateribus ante medium rotundatus, basin versus angustatus, transversim modice convexus, confertim rugoso-punctatus, punctis parum profundis quasi ocellatis, rufo-ferrugineus. Elytra thorace paulo longiora, minus crebre fortiter punctata, antice prope suturam utrinque callo quadam subelevato notata, nigra, tertia fere apicali parte bisinuatim testacea. Abdomen ut in Sunio angustato, sed magis nitidum parcusque punctatum, segmentis omnibus margine tenui apicali rufo-testaceo. Pedes testacei.

Mas' abdominis segmento ventrali sexto apice acute triangulariter exciso.

Quindecim et ultra exemplaria in insula Cypro D. Truqui reperit.

Sunius biguttatus. *Elongatus, gracilis, niger, antennis pedibusque flavo-testaceis, capite thorace parum latoire, thorace ovato basin versus angustato, elytris thorace multo longioribus testaceis, macula lateralii oblonga majore minore nigra.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin.

In insula Cypro a D. Truqui repertus.

Sunii angustati statura paulo minor, sed longe gracilior, elongatus, colore admodum varians, subtiliter fulvo-pubescent. Antennae capite sesqui longiores, graciles, apicem versus subincurvatae, articulo ultimo majore, flavo-testaceae. Caput oblongum, pone oculos thoracis maxima latitudine paulo latius, ante oculos angustius, lateribus parallelum, subtiliter confertim rugoso-punctatum, subdepressum, nigrum. Thorax coleopteris paulo angustior, maxima latudine longior, basin versus angustatus, confertim rugoso-punctatus, parum convexus, niger. Elytra thorace sesqui longiora, lateribus parallela, parum convexa, dense ruguloso-punctata, rufo-testacea, macula lateralii oblonga nigra neque apicem, neque basin attingente, notata. Abdomen apicem versus paullulum dilatum, nitidum, subtiliter punctatum, longius fulvo-pubescent, segmentis singulis margine apicali tenui testaceo. Pedes flavo-testacei.

Abdominis segmentum inferius sextum maris apice acute triangulariter excisum.

Variat. a) Capite anterius, thorace antice posticeque in medio rufo-piceis, elytrorum macula lateralii breviore.

b) Thorace medio longitudinaliter rufo-piceo, macula elytrorum lateralii breviore.

c) Thorace rufo lateribus infuscato, macula elytrorum punctiformi.

d) Rufo-piceus, thorace rufo, capite, elytrorum macula punctiformi abdominisque segmento penultimo piceis.

e) Rufo-ferrugineus vel rufo-testaceus, oculis nigris, abdominis segmento penultimo piceo, elytrorum macula obsoleta.

f) Totus testaceus, oculis solis nigris.

Ad varietatem e) probabiliter referendus *Sunius melanurus* Küster. (Die Käf. Eur. XXVI. 76.) cuius descriptio huic varietati elytris immaculatis convenire mihi videtur; porro si nomen hoc ut pote anterius retinendum, diagnosis et descriptio ad obscuriores varietates, quas normalem insecti picturam considero, apte emendandae.

Die eingesandten Stücke lassen mich noch zweifelhaft, ob der Käfer nicht mit *S. bimaculatus* Er. identisch ist.

Paederus lusitanicus Aubé. *Apterous, niger, elytris cyanis thorace dimidio brevioribus; thorace abdominis segmentis quatuor pedibusque rufis, femoribus apice late nigris, antennis testaceis medio fuscis: abdomine medio dilatato.*

Long. 4 lin.

Quaedam in Pedemontio ipse, plurima in Alpibus maritimis individua legit D. Ghiliani.

Paederi littoralis individuis majoribus statura et pictura aequalis, sed robustior, corpore ad elytrorum hasin constricto. Antennae capitis thoracisque fere longitudine, articulo tertio secundo duplo fere longiore, quarto—decimo sensim parum brevioribus, testaceae, articulis quinto—decimo obscuris. Palpi et mandibulae ut in littorali. Caput thoracis maxima latitudini aequale, orbiculatum, nigrum, nitidum, caeterum ut in littorali. Thorax coleopteris latior, oblongus, margine antico late subemarginatus, basin versus angustatus, sat convexus, rufus, nitidus, dorso biserialiter, lateribus inaequaliter punctatus. Scutellum elongato-triangulare, apice subrotundatum, subnitidum, impunctatum, obscure rufum, vel rufo utrinque piceum. Elytra thorace sesqui breviora, basi angusta, apicem versus sensim latiora, apice oblique truncata, minus crebre et minus profunde punctata, cyanea, nitida. Abdomen parcus subtiliter punctulatum, a basi usque ad segmentum sensim fortius dilatatum, deinde apicem versus conico-attenuatum, rufum, nitidum, segmentis duobus ultimis nigris. Caput, thorax et abdomen supra parce nigro-pilosa; elytra et abdomen tenuiter cinereo-pubescentia. Pectus nigrum. Pedes cum coxis anterioribus rufo-testacei, femoribus omnibus apice late nigris, tarsis apice fuscescensibus.

Mas ab domine lateribus minus ampliato, segmento ventrali sexto per totam fere longitudinem inciso distinctus.

Ab affinibus antennis et thorace longioribus, scutello laevi, elytrorum brevium abdominalisque forma differt.

Speciem hanc retuli Paedero lusitanico Aubé, typico exemplari, quod asservatur in R. Museo Taurinensi, examinato, a quo solo pedum colore differt, qui in hoc nigri sunt femoribus tertia basali parte rufis, coxis intermediis nigris, ut in Gallici Auctoris descriptione; quod autem ibidem clarissimus Auctor subjungit elytra longiora in lusitanico esse quam in littorali errore prorsus calami cecidisse puto, et contrario sensu intelligendum elytra in lusitanico

longe breviora, quam in littorali esse: quasdam notas insuper distinctivas adjeci.

Die beiden mir zur Ansicht zugesandten Stücke gehören ohne Zweifel einer eigenen Art an, welche durch ihre Gröfse und die Kürze der Flügeldecken ausgezeichnet ist. Einige ähnliche Stücke befinden sich unter den Exemplaren des P. littoralis auf dem Königl. Museum. Wahrscheinlich werden sich auf diese Art diejenigen Angaben beziehen lassen, nach denen P. littoralis auch ungeflügelt kommt. Mit voller Sicherheit kann übrigens P. lusitanicus Aubé noch nicht auf den Baudi'schen Käfer bezogen werden.

Paederus littoralis in Pedemontio frequens occurit, sed semper alatus est, mares capite paullulum majore a feminis discidunt; varietatem etiam alatam. pedum posteriorum femoribus paullisper, antecorum vix infuscatis in insula Cypro D. Truqui copiose legit. Sardoa exemplaria etiam alata examinavi, sed variant prorsus statura multo majore, antennarum articulis duobus ultimis lateris, capite in masculis transversim ovato, thorace in utroque sexu latiore, fronte inter oculos punctorum serie semicirculariter distinctius disposita; thorace anterius latiore, magis convexo, margine apicali subemarginato; elytris paulo minus crenate at profundius punctatis; abdome apice parcius punctato.

Die erwähnten sardinischen Stücke gehören ohne Zweifel dem P. meridionalis Motsch. mili an.

Paederus brevipennis in Alpibus Pedemontii rarius occurrit, variat autem antennarum articulis quarto—decimo fuscis, pedum femoribus omnibus apice parum fuscescentibus, coxis posticis nigris interdum apice extrorsum obscure rufis: mas abdominis segmento inferiore sexto brevius quam in praecedentibus inciso.

Erichson's Beschreibung ist nach frischen Stücken entworfen. Vergl. die Note zu P. brevipennis (Ins. Deutschl. II. p. 727).

Paederus longipennis vulgaris est in Pedemontio, attamen a descriptione Professoris Erichson constanter apud nos variat mesosterni episternis rufis, levioribus; medisterno nigro parce profunde punctato, pedum antecorum femoribus interdum vix, saepius nullomodo apice infuscatis.

Paederus limnophilus apud nos vulgaris variat scutello rufo vel obscure rufo, tibiarum dimidia apicali parte tarsisque basi testa-

ceis: mesosterni episternis levibus, pectori concoloribus, medisterno crebre punctato obscure rufo.

Aehnliche, nicht ganz ausgefärzte Stücke fehlen in Deutschland ebenfalls nicht.

Paederus ruficollis vulgaris iu Pedemontii plauitie et alpinis ad ripas fluviorum, statura sat variabilis, nec non colore:

- variatur a) capite coeruleo, palporum maxillarium articulis primo secundoque subtus (interdum omnino) rufo-testaceis, antennarum articulis duobus primis totis rufo-testaceis, abdomine nigro griseo pubescente.
- b) major statura, antennis longioribus, et palpis maxillaribus articulo primo secundoque subtus obscure rufis, obscurioribus in femina, abdomine nigro-cyaneo, fusco-griseo pubescente.
- c) statura adhuc major praesertim femina, antennis adhuc longioribus, abdomine cyaneo, fusco-pubescente, palpis antennisque concoloribus. Huic postremae varietati referendum puto Paederum longicornem Aubé, cuius descriptio Pedemontanis et Sabaudis quibusdam hoc nomine receptis individnis convenit.

Var. a) ist mit meinem *P. gemellus* (Ins. Dentschl. II. p. 731.) identisch; var. b) und c) gehören zum *P. longicornis* Aubé.

Stenus asphaltinus in Pedemontio, monte Rosa, Apenninis et Sardinia repertur ubique rarus: dignoscitur mas abdomine apicem versus magis attenuato, segmentis ventralibus quarto medio apice leviter depresso, quinto medio longitudinaliter, fortius apicem versus impresso, apice late emarginato, sexto apice profunde emarginato, septimo apice semicirculariter exciso.

Stenus callidus. Nonnulla hujus speciei individua nuper Beryto in Syria D. Truqui legit, quae a jamdiu descriptis variant colore nigro, tarsis piecis: mas a femina distinguitur thorace dorso obsoletissime canaliculato, abdominis segmento inferiore quinto apicem versus obsolete impresso, sexto apice late triangulariter exciso.

Stenus viridans. *Aeneo-virescens, nitidus, crebre punctatus*
abdominis segmentis apice sublaevibus, palpis, antennis per-
didibusque testaceis. Long. $2\frac{1}{2}$ lin.

Semel inundante Pado fluvio inter quisquilia supernatantia legi.

Stenis soluto et cicindeloide intermedius, illo paulo gracilior

et minus erekre punctatus, interstitiis subaequalibus, corpore parce subtiliter, abdome longius tenuissime albido-pubescente distinctus. Antennae longiusculae, articulo tertio quarto sesqui fere longiore, totae testaceae. Palpi testacei. Caput fronte late bisulcata, spatio interacente aequa ac frontis latera elevata, medio nitidissimo, laevi. Thorax coleopteris angustior, subcylindricus, lateribus leviter rotundatus, pone medium utrinque obsoletissime oblique impressus, latitudine summa paulo longior. Elytra thorace paullulum longiora, dorso anterius levissime longitudinaliter torosa. Abdomen immarginatum, segmentis quatuor primis basi fortius, apicem versus subtilius parciusque punctatis, apice sublevibus, reliquis subtilius punctatis. Pedes cum coxis anterioribus testacei, immaculati, coxae posteriores piceae; tarsi valdissimuli, articulo primo elongato, secundo tertioque triangularibus apice summo nigricantibus, quarto fortiter bilobo. Mas: abdominis segmentis ventralibus tertio leviter, quarto distinctius apice impressis, quarti impressione marginibus apice subcarinatis, apice ipso medio rotundatim emarginato, quinto late leviter emarginato, sexto apice triangulariter exciso.

A Steno cicindeloide statura minore, punctura tenuiore, a ceteris hujus divisionis corpore viridescente, antennarum pedumque colore differt.

Bledius haedus. *Fronte bicorni, niger, ore, antennis, pedibus anoque testaceis, elytris piccis, circa scutellum fuscis, subtiliter dense punctatis; thorace coriaceo dense punctato, canaliculato, maris spinoso.* Long. 2 lin.

Habitat in insula Cypro. D. Truqui.

Bledio unicorni, cui simillimus est, paulo major, niger, subnuditus, tenuiter griseo-pubescent. Antennae capite parum longiores, articulo secundo tertioque subaequalibus, apicem versus sensim inerasatae, rufo-testaceae. Mandibulae proeminentes, ante apicem fortiter dentatae, rufae, apice piceae. Os testaceum. Caput maris laeve, feminae subtilissime coriaceum, medio longitudinaliter late depresso, epistomatis margine anteriore reflexo, rufo-piceo, infra antennas semicirculariter impressum, utrinque ad antennarum basiu cornu in mare valido, erecto, apice acuminato, in semina brevi dentiformi, apice truncato, armatum. Thorax antice prope coleopterorum latitudine, summa latitudine haud longior, basin versus leviter angustatus, lateribus anterius ultra medium subrectis, postice subito fortiter convergentibus, basi truncatus, angulis anterioribus

acutis, antrorsum prominentibus, antice in femina muticus, in mare medio in spinam brevem haud canaliculatam, apice barbatam productus; longitudinaliter medio canaliculatus, canalicula basin versus tenuiore et sensim evanescente, leviter convexus, subtilissime coriaceus, crebre profunde punctatus. Elytra thorace longiora, crebre distincte punctata, subnitida, picea, callo humerali piceo-testaceo. Abdomen nitidum, omnium subtilissime coriaceum, supra segmentis quatuor primis apicem versus transversim subseriatim punctatis; subitus aequaliter minus dense punctatum, nigrum, ano piceo-testaceo, vel testaceo. Pedes cum coxis omnibus rufo-testacei.

Variat saepe elytris testaceis, circa scutellum fuscis.

Bledius triangulum Baudi. A D. Fairmaire (in sua Faune Ent. Francaise p. 603.) *Bledio fossori* Heer adjungit, utrosque Bledii opaci Block varietates esse tradit; qua ratione adductus mihi nullomodo compertum esse potuit.

Auch ich vermag nicht abzusehen, weshalb Fairmaire den Bl. fossor Heer zum Bl. opacus zieht.

Bledius fossor Heer. Nuperrime plurima hujus speciei exemplaria circa ad ripas Padi legi; mas distinguitur mandibulis ante apicem supra acute unidentatis, abdominis segmento ventrali sexto apice medio late subimpresso, ibi breviore, margine apicali leviter bisinuato, membrana tenui medio producta ornata.

Die als Bl. fossor Heer übersandten Stücke gehören der von mir (Ins. Deutschl. II. p. 827.) als Bl. frater beschriebenen Art an, auf welche Baudi wohl nicht mit Recht den Heer'schen Käfer bezieht.

Bledius verres Er. Quaedam hujus speciei individua in Pedemontio legi, quae typis sardois dimidio minora sunt, caeterum omnimodo identica: plurima etiam in insula Cypro et Beryto in Syria hujus varietatis minoris legit amicus Truqui; inter haec duo individua variant statura adhuc minore, pedibus coxis exceptis testaceis, elytris corpori concoloribus; his notis *Bledio nilotico* Er. retulisset, sed ea pro specie distincto a caeteris separare nullam rationem inveni.

Bledius morio Heer et *Bledius tibialis* Heer gravis erroris causam mihi praebuerunt, quem hic emendare non haereo; nam in Studi. Ent. pagina 144, has duas species in unam conjungendas proposui, quasi una alterutrius sexus, at postea plurimis Bl.

tibialis individuis reperiis et examinatis, et accuratius perfectis clarissimi Helvelici scriptoris descriptionibus, mihi patuit distinctum a tibiali Bledium morionem habendum, et quae observatur in pluribus masculinis individuis proportionalis thoracis longitudo, ejus basi minus rotundata, sufficientem non praebere, imo admodum variabilem, notam, qua ad Bl. morionis Heerii diagnosis referri possit; quapropter optime Clarissimus Fairmaire in Faune Ent. Franc. p. 602. contra sententiam meam opinatur.

Platystethus spinosus Er. rarus est apud nos, sed frequens in Sardinia et insula Cypro occurrit, at longe major quam a Prof. Erichson descriptus, duas saepius excedit lineas, in hoc genere maximus.

Platystethus rufospinus Hochhuth. Specimina quaedam Rossici scriptoris hujus speciei descriptioni admodum convenientia in insula Cypro D. Truqui legit; at variantem unicum inter ea examinavi, cuius identicum exemplar in Sardinia meridionali prope maris littora inveni; nempe elytris non modo (ut in illis, et citata descriptione) tenuissime longitudinaliter strigosis, sed etiam subtiliter alutaceis.

Platystethus brevipennis. *Apterus, niger, nitidus, pedibus piceis, ore, trochanteribus tarsisque testaceis, fronte maris bispinosa, capite thoraceque canaliculato nitidis crebre, elytris alutaceis parce punctatis, his brevissimis.* Long. $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.

In Sardinia in muscis circa fonticulos deguttantes e rupe, quarundam Homalolarum more, degentem reperi.

Pl. rufospino proximus, corpore medio constricto, elytris brevissimis a congeneribus discedit. Subdepressus, niger, nitidus, elytris opacis. Antennae capite duplo prope longiores, articulo secundo tertio paulo longiore, apieem versus sensim crassiores, articulis penultimis subtransversis, ultimo praecedentibus duabus simul sumptis fere longiore, nigrae. Caput maris magnum, thorace latius, seminae ejusdem latitudini anticae subaequale, crebre subtilius punctatum, super oculos rugis quibusdam longitudinalibus, infra puncto utrinque impressum, vertice linea tenui transversa et medio canalicula brevi longitudinali notatum, fronte in mare transversim subdepressa, epistomate laevi, apice bispinosa, spinis tenuibus, longiusculis, rufis; in femina convexa, spatio lato laevissimo, mutico. Thorax basin versus fortiter angustatus, basi coleopterorum latitudine,

apice leviter bisinuatus, lateribus anterius modice, post medium fortiter cum basi rotundatus, angulis anterioribus muticis, in mare tamen paullum brevior et basi minus rotundatus; supra sat convexus, longitudinaliter medio profunde canaliculatus, lateribus crebre, disco parcus punctatus, interstitis laevissimis. Elytra thorace tertia parte breviora, basi (corpore ibidem constricto) leviter angustata, subtilissime alutacea, opaca, parce minus profunde punctata, limbo sulculari et apicali lineola tenui notata. Alarum minuta tantum extant rudimenta. Abdomen basin versus in mare constrictum, in femina paulo angustatum, supra omnium subtilissime alutaceum, lateribus et subitus parce subtiliter pilosum. Pedes nigro-picci vel ruso-picci, trochanteribus, tibiis apice tarsisque testaceis.

Mas abdominis segmento ventrali septimo medio longitudinaliter impresso ibique levissimo, impressione utrinque leviter carinata, carinulis in denticulati apice desinentibus; femina eodem aequali, apice medio leviter producto.

Oxytelus depressus in Pedemontio etiam vulgatissimus; ejus varietatem insignem in Sardinia legi, ubi typum continentalis Europae non reperi; statura constanter majore, corpore nitidulo, antennis nigerrimis, capitis clypeo laeviore, thorace basi subrecte truncato, clytris plerumque fusco-piccis, interdum picco-testaceis, abdome nitido, oculo fortiter armato levissime subtilissimeque coriaceo, pedibus cum coxis testaceis.

Mas segmento abdominis inferiore septimo apice late emarginato, medio impresso et quasi longitudinaliter bis-plicato. Localem attamen *Ox. depressi* varietatem hunc censui, nec pro peculiari specie describere ausus sum.

Duos tantum mares super viginti et ultra feminas in Sardinia ipse, tres in insula Cypro D. Truqui legit.

Ist keine Varietät des *Ox. depressus*, sondern der von mir (Ins. Deutschl. II. p. 862.) beschriebene *Ox. speculifrons*.

Thinobius linearis Kraatz (Ins. Deutschl. II. p. 883.) Quae-dam individua inundante Pado fluvio in quisquiliis reperi.

Da der Käfer von mir a. a. O. bereits beschrieben, ist die Beschreibung der von Baudi als (*monilicornis*) neu aufgestellten Art hier fortgelassen. Ebenso bei der folgenden, als *Th. gracilis* von Baudi eingesandten Art.

Thinobius delicatulus Kraatz (Ins. Deutschl. II. p. 884.). Inundante Pado fluvio in quisquiliis plurima legi. Variat ruso-testaceus, capite abdomineque ruso-piccis.

Thinobius longipennis Heer. Inundante Pado fluvio inter quisquia frequens; varietatem ibidem reperi statura dimidio minorem, thorace tantisper convexiore, lateribus et basi fortius rotundato.

Anthobium ophthalmicum Payk. Variat apud nos statura paulo majus (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.), thorace obscuriore, supra magis depresso, distinctius canaliculato et abdomine nigro. Nomine *Anthobii lutei* Steph. ex Anglia etiam misit D. Curtis.

Anthobium procerum. *Fusco-testaceum, capite, thoracis macula longitudinali, pectore abdomineque nigris, elytris thorace duplo longioribus, apice interiore maris truncato, seminae producto, acuminato.* Long. $1\frac{1}{2}$ lin.

Hab. in Pedemontio.

Anth. abdominalis statura et forma proximum, sed capite nitidore, nigro et elytrorum feminae structura distinctum. Antennae capite thoraceque vix longiores, apicem versus leviter incrassatae, testaceae, articulis quinque ultimis obscuris. Caput fronte deplanata, nitida, sparsim punctata, quadrifoveolata, utrinque ad oculorum marginem interiorem subtilissime longitudinaliter strigulosum, nigrum, ore rufo-testaceo. Thorax transversim subquadratus, lateribus rotundatus, angulis anticis rotundatis, posticis in mare rectis, in femina obtusis, minus subtiliter parum dense punctatus, medio subtiliter obsolete canaliculatus, subdepressus, rufo-testaceus, spatio medio lato fuscescente. Scutellum laeve, fuscum. Elytra thorace duplo longiora, crebre sat fortiter punctata, rufo- vel obscuro-testacea, apice in mare truncata, in femina angulo interiore producto, dehiscente, acuminato. Abdomen nigrum, sublaeve, vel omnium subtilissime coriaceum, nitidum. Pectus piceum; pedes rufo-testacei. Ante minutum mihi collocandum videtur, cui elytrorum in femina structura accedit; ab illo distinguitur praecipue statura duplo magiore, capitis forma, et corporis colore.

Anthobium nitidicolle. *Nigrum, nitidum, antennis apice excepto, elytrorum limbo apicali pedibusque testaceis; capite thoraceque transverso nitidissimis, hoc subtilissime sparsim punctato, elytris thorace duplo longioribus fortiter punctatis, singulo apice in mare recte, in femina oblique truncato.* Long. vix 1 lin.

Anth. anali proximum, ab hoc et adusto Kiesw. thorace ni-

tidissimo, corpore nitido, glabro, abdomine solo parce fulvo-pubescente distinctum. Antennae capitis thoracisque vix longitudine, rufo-testaceae, apice fuscescentes. Caput fronte deplanata, laevi, inter antennas utrinque obsolete, inter oculos parum profunde subtriangulariter utrinque impressum, nigrum. Thorax latitudine dimidio brevior, lateribus fortiter rotundatus, basi apiceque truncatus, angulis omnibus subrotundatis, leviter convexus, nitidissimus, glaber, disco sparsim, ad latera et angulos posticos crebrius subtilissime punctatus, disco interdum ante medium puncto majore utrinque impresso. Scutellum laeve. Elytra nitida, glabra, subdepressa, fusca, margine postico testacea, crebre minus profunde punctata, thorace in utroque sexu plus duplo longiora, apice in mare subrecte truncata, in femina singulo oblique truncato, seu angulo apicali interno in mare recto, in faemina acutiusculo, non vero producto. Abdomen nigrum, subtilissime sparsim vix conspicue punctulatum, interdum supra parce fulvo-pubescens, saepius depresso, nigrum, segmento ultimo piceo vel rufo-piceo. Pedes rufo-testacei.

Habitat in elevationibus alpium Pedemontii regionibus, cum anali et affinibus in floribus Rhododendri plures copiose lectus.

Anthobium palligerum Kiesw. Hab. cum praecedente in summis Alpibus.

Augusta Taurinorum, mense Augusto 1857.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Deutsche Entomologische Zeitschrift \(Berliner Entomologische Zeitschrift und Deutsche Entomologische Zeitschrift in Vereinigung\)](#)

Jahr/Year: 1857

Band/Volume: [1](#)

Autor(en)/Author(s): Selve Flaminio Baudi a

Artikel/Article: [Coleoptera quaedam e Staphylinorum familia nova vel minus cognita cum observationibus. 97-115](#)